

www.e-rara.ch

Johannis Prideaux Opera theologica quae latinè extant omnia

Prideaux, John

Tiguri, 1672

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-13503>

Lectio IV. De conversionis modo.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

Lib. de ar-
tic. falso
impof.

neretur, atque hoc ad testimonium (ut habet Prosper) non ad remedium, quia utcun-
que *precium* ad omnes, *proprietas* tamen ad paucos extenditur, ut rectè concludit Au-
gustinus. Vbi & ipse etiam figo baculum.

Atque ita haberis (P. & F.) summæ huius difficultatis, per tot diffusæ volumina, a-
liquod saltem compendium, cujus prolixitatem fortasse excusarem, nisi id agendo fie-
rem prolixior. A gratia duximus exordium, per gratiam progressus fecimus, in gra-
tia tandem desinamus: Gratia Domini nostri Jesu Christi, charitas Dei Patris, &
communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus nobis, nunc & in æternum. Amen.

LECTIO IV.

De

CONVERSIONIS MODO.

In Vesperijs Comitiorum habita Oxon.

Julij 10. Anno Domini 1619.

Rom. IX. II. 12.

II--- *Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent
aut mali, ut secundum electionem propositum Dei mane-
ret, non ex operibus, sed ex vocante.*

12--- *Dictum est ei, Quia maior seruiet minori.*

DVo sunt (P. & F.) quæ perspicacissima Theologorum semper torferunt in-
genia, providentiæ Divinæ & contingentiæ, Prædestinationis & liberi arbi-
trii discors harmonia. Primum respicit fixam Dei dispositionem de omnibus
creaturis in genere, alterum verò speciatim ad nos spectat. In quo jam
quartâ vice explicando desudat mea ex hoc loco qualiscunque industria. Nec ho-
rarium hujus pensi compendium, neque vestra fert expectatio, ut prolixè repeterem,
quomodo à decreto absoluto, per scientiæ mediæ abrupta, ad amœniorem gratiæ pa-
radisum tandem devenimus. De gratia (ut meminisse potestis) tria discutienda pro-
posui: Primò ipsius extensionem: Secundò efficaciam: Tertiò durationem, hoc
est, quâ mensurâ offertur, confertur, aufertur. Accepistis superiori anno, de primo,
Gratiam sufficientem ad salutem omnibus non concedi, sed pro inscrutabili donantis
beneplacito, quibusdam uberiùs ad gloriam, aliis parciùs ad ἀναπολογίαν solummodò
destinari. Superest itaque jam juxta proscriptos mihi cancellos, ut eiusdem effica-
ciam aggrediar. Hæc autem primò in peccatoris conversione, deinde in eiusdem ju-
stificatione, commodè subibit examen. Et quoniam Textus (ut videris) duos exhibet
fratres Esavum & Jacobum, ortu, merito, conditione, prorsus pares, quibus tamen non-
dum natis, & cùm nihil fecissent, boni vel mali, Θεός τις ἔθεσ καὶ ἐκλογὴν, prestiturum
Dei quod est secundum electionem, libertatem, & servitutum, odium, & amorem,
inæqualiter designasset, quæri potest hic non immeritò, *An ex duobus in aequali gratia
constitutis, alter convertatur, & salvetur, alter resistat, & pereat?*

2. Quam

2. Quàm lubricum autem sit hîc æquilibrium, ut in hoc quasi מעלה נקריבם Num. 34. ascensu (ut ita dicam) scorpionum non declinet viator, vel ad dextram gratiæ, in exterminium liberi arbitrii, vel ad sinistram arbitrii, in gratiæ præjudicium, ostendit illud Augustini, Epistolâ 46. ad Valentinum, *Si non est Dei gratia, quomodo salvat mundum? Si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?* Quod reponit Bernardus in vestibulo tractatûs de grat. & libero arbitrio, *Tolle liberum arbitrium, non erit quod salvetur; tolle gratiam, non erit unde salvetur.* Vnde aureum est illud corollarium Archiepiscopi nostri Bradwardini ad cap. 3 1. lib. 1. de causa Dei, &c. Scripturam & Patres ex hac parte præcipuè, non pium tantum, sed & prudentem requirere lectorem, qui & dubia perpendat, opposita conferat, Doctores ipsos, vel inter se, vel sibi ipsis non obscure contradicentes, ex Scripturis, vel testimoniis expressioribus, exponat & corrigat: Ne dum Pelagianismi refugiat Scyllam, incidat in Manichæismi & Enthusiasmi Charybdim. Quare sollicitè subtilissimus Patrum Augustinus in lib. De naturâ & gratiâ, naturam utcunque à lapsu depravatam, à Pelagianorum calumniis vindicavit. Quia autem ibidem Gratiam, ut par est, evehit, vellicatur ab infirmioribus, ut libero arbitrio *injurius*. Hisce autem dum de gratia & libero arbitrio accuratiorem elucubrat tractatum, quo ostendit, gratiam arbitrium non destruere; sed libertatem ad bonum per lapsum amissam, restituere: profiliunt quasi ex insidiis alii, qui inde correptiones omnes supervacaneas esse concluderent. Quibus coactus est in libro de correptione & gratiâ tertio satisfacere. Ita Natura, Arbitrium, correptiones invenirent causidicos, qui quasi ex jure manu confertum, res à gratia repeterent. Et quanquam Prosper, Fulgentius, & ceteri ex eadem disciplina Patres, Conciliorum, & Romanorum Pontificum muniti decretis, orthodoxam Augustini de Gratia doctrinam, adversus Pelagii reliquias egregiè sunt tutati: tam tenui tamen pendet filo hujus veritatis statera, & tam perplexè subinde loquuntur, ut Eridis potius pomum, quam pacis olivam videantur posteris, eandem litem moventibus, reliquisse. Circumferuntur Fausti anathematissimi, & Lucidi Presbyteri palinodia, una cum decretis Synodorum, Arelatensis & Lugdunensis, fusè à Baronio & Binio exhibitis: sed ita lubricè hic proponuntur omnia, ut nescias utrum Lucidum potius Prædestinatorum & Aduerbinorum rigiditatem (quam Epist. 46. & 47. emollit Augustinus) præfractius urgentem, averferis: an Faustum, Semipelagianismi virus subdole instillantem ferires anathemate. Godeschalcum eandem postea gratiæ efficaciam in prima peccatoris conversione, contra vafros arbitrii proxenetas, præcipitantiùs forsan efferentem, non tam oppugnant in Concilio Moguntino, Rabanus Maurus, Haymo Halberstadenfis, & Hincmarus Rhemensis; quam in Synodo defendunt Valentina, Remigius Lugdunensis, Figilmarus Vicanensis, & Rolandus Arelatensis: Vnde Remigio non dubitat Maldonatus in Matth. 20. 28. Prædestinatorum hæresin impingere: Dum è contra edunt Colonienfes in recentissima Patrum Bibliotheca, Tom. 9. Ecclesiæ Lugdunensis librum una cum tribus Epistolis, quibus Johannes Erigena Scotus, & alii qui Godeschalcum acriùs sunt insectati, piè & nervosè retunduntur. Quanquam libuerit Andrea Duvallio, Doctori Sorbonico, & Regio in Academia Parisiensi Theologiæ Professori, notulis quibusdam Patres Lugdunenses perstringere, & Semipelagianismum Scoti, Philosophicis suffultum argutiis, non obscure incrustare.

3. Sequuntur Scholasticorum de iisdem gratiæ & liberi arbitrii finibus regundis, clamorissimæ altercationes, quas non dissimulant, sed discutiunt liberiùs præcæ-

Tom. 3.
p. 14. & 25.

Seft. 6. c. 1.
& Can. 4.

teris, Bradyvardinus noſter & Gregorius Ariminenſis. Calumnioſè autem impingit VValdenſis VViclevo, ipſum gratiam Divinam tacere, vel abnegare. Oſtendunt ſiquidem ubertim Manuſcripti illius, qui apud nos ſuperſunt, in Pſalmos commentarii, quàm acris ſemper meritorum hoſtis, & gratiæ vindex extiterit. Vt verò Laur entius Valla pro innato in barbariem Scholaſticorum odio, & pugnacis ingenii pruritu, non ferendus videtur (ſicut reſtè animadvertit Chemnitius) in neceſſitate Stoica aſſerenda: ita nimium laxarunt habenas humanæ præcipitantiæ, inſequentes meritorum nundinatores, quos ita ſophiſticè tandem componunt Tridentini Conciliabularii, ut non tam priores conciliaſſe, quàm poſteriores inter ſe commiſſiſſe videantur. Diceres Satanam omnes machinas admoviſſe ad hanc compagem diſſipandam. Nam qui in cæteris articulis diſuſè coeunt, in hoc, quaſi Eſau & Jacob in eodem utero, colliduntur. Inter Pontificios, quis neſcit Ieſuitas & Dominicanos præla onerare, & implere Bibliothecas, ex conſarcinatis de hac controverſia litigiis? Sicut autem, è Lutheranis prodiit *Huberus*, qui lib. 1. Antibellarmini, cornu 9. cap. 6. per latera Bellarmini & Pontificiorum, ſuos gratiæ faventiores, non obſcure fodit & tranſverberat, eorum placita cum Turcico Alcorano componens: Sic è contra Iohanni Schluſſelburgio Stradlefundenſi Philippus Melancthon, Victor Strigelius, Major, Eberus, Crellius, Laſius, & omnes VVittebergenſes Theologi, ſub titulo Synergistarum veniunt, eodemque nomine libr. 5. ſui Catalogi Hæreticorum, volumine ſat crasso refutantur. Atque utinam inter purgatiores Evangelii ſymmyſtas, incondita illa Remonſtrantium & Contraremonſtrantium vocabula, nunquam fuiſſent audita, expeditiores profeſſò multò eſſemus ad venandam Beſtiam Apocalypticam. Nunc autem *Bella geri placuit nullos habitura triumphos*. Vbi pares videntur aquilæ, utrinque Scripturæ, & Patres, in æquilibrio quaſi Doctorem Phalanges. Itaque cùm in gratiam Contraremonſtrantium, ante biennium, ex antiquis contexta commentaria de Pelagianis & Semipelagianis, duobus libris edidiſſet Iohannes Latus: triplicata inſurgit industria, anno ſequenti Gerardus Voſſius, & ſeptem librorum mole, totius antiquitatis faſtos ad Remonſtrantium ſubſidium intorquet. Hiſce autem inflammatis partium ſtudiis, ſequeſtrum ſi quis ſe candidè interponat, impetus fit unde quaſi in eum tanquam in hoſtem publicum. Gratia ſtudioſius partes agis? Manichæus, Prædeſtinatianus, Borborita, Enthufiaſta, Florianus, Puritanus, Calviniſta, Gomariſta, à Pontificiis, Lutheranis, & Remonſtrantibus audies. Sin arbitrio relinquo vel minimas in prima converſione partes, vix Pelagiani aut Semipelagiani, Juſtitiarii, Operiſtæ, Particularii, Præviſarii, Synergia, Arminiani, lituram effugies. Quin & non pennis tantum, ſed & penicillis, jam tandem bilem evomunt. Vt enim Belgæ neſcio qui, Arminianum quinque capitibus, quatuor brachiis & manibus, totidem etiam pedibus, Juſtitiam & innocentiam conculcantem, monſtroſè anno ſuperiori depinxerunt: Eodem artificio ſpecioſè delineat Aquinatem Matthias de Riſpolis, umbone, pennâ, & pedibus, omnes illos prementem, tranſigentem, & conterentem, qui aut phyſicam negant voluntatis prædeterminationem, aut ſcientiam mediam aſtruunt. Ita dum incurvum tenellæ arboris ſtatum corrigere ſtudent, (quod de imperitis inſitoribus Ep. 41. ſcitè notat Baſilius) nimia attractione in alteram partem peccant. Et certè quicquid Philoſophi de concuſſu Dei cum ſecundis cauſis; de viribus & voluntatis facultate, quicquid Scholaſtici de gratia præveniente, ſubſequenti, operante, cooperante, excitante, adjuvante, de voluntate Divina, antecedente, conſequenti, ſigni, beneplaciti, occulta, revelata:

Quic.

Quicquid de motionibus, auxiliis, prædeterminationibus, præfinitionibus, decretis, decretionibus, scientia, præscientia, providentia, & prædestinatione: Quicquid denique de gratiæ communicandæ modo, infallibilitate, resistibilitate, necessitate, contingentiâ, disputarunt Recentiores, ad propositi problematis latifundia commode revocentur. Quod rectè animadverterit Franciscus Suarez, in brevi resolutione controversiæ de gratia efficaci, Sect. 2. ubi, *Punctus*, inquit, *controversia est, quid addat auxilium efficace supra auxilium sufficiens*; aut cur in uno habet *actualem efficaciam, & non in alio*? Id est, cur cum duo homines eandem omnino gratiam consecuti sunt, unus convertatur & non alter? Observasset hoc antea Lutherus, ideoque liberum arbitrium ut totius Papismi fundamentum, obnixius convellit. Quod in drama quoddam lepidum coegit Franciscus Niger Bassanensis; cujus argumentum, quia lucem adfert huic negotio, non gravabor brevibus subjicere. Liberum (inquit) arbitrium, voluntatis & Rationis filius, & provinciæ humanarum actionum inter Ethnicos Princeps; per Lumen Naturale, summæ autoritatis inter Scholasticos Doctorem & Professore, in Romanam Curiam tanquam hospes honorarius (declinante Evangelii puritate) tandem deducitur. Ibidemque à Pontifice Romano, operum bonorum & Spiritualium regno præficitur. Habitabat tunc temporis Romæ, Heroïna opulentissima, nomine Gratia de Congruo. Hanc, proxinetam agente Actu elicitò, (Arbitrii hujus humani procuratore vaferrimo) in uxorem ducit. Ex eaque suscepit filiam unicam, Gratiam de Condigno, formæ tam stupendæ, ut cœlicolas ipsos hac ex parte, provocaret. Cùmque diu ninium hanc regalem familiam, ex fisco & vestigali, nomine Meriti aluisset: dilapsa est tandem è cœlo Gratia justificans, quæ aulæum complicavit, & fallacissimum hoc Iniquitatis mysterium sub dio constituit. Videtis quantum nostri interest (Academici) penitus hujus abyssi vada pertentare, ne de Naturâ utcunque per lapsum miserrime deformata, abjectius statuamus quàm par est, nec resarciendi & refingenti gratiæ, vel minimum detrahamus. Cuneus enim idoneus huic nodo adaptatus, non tantum liberi arbitrii curvitatem, ad amulsim exiget: sed & reliquos quatuor articulos in Synodo Dordracensi contra Remonstrantes (ut fertur) jam fœliciter ab Orthodoxis conclusos, eadem opera expediet. Nam si constaret semel conversionem peccatoris in solidum gratiæ sic esse referendam, ut duo eadem affecti, effectus æquales indubitato sortiantur, Concidit statim ista prædestinatio ex prævisa quavis in objecto conditione: nec ulterius indulgentiores turbaret, ex vaporibus nescio quibus Pelagianis, de Redemptione universali insomnium, nec resisteret quispiam deinceps, de resistibilitate gratiæ, nec dubitaret de sanctorum perseverantia Desertor Hyminaeus, cùm intelligat, salutem non ex hominum protervitate periclitari, nec gratiam efficacem assensum voluntatis præstolari, sed efficere tempore statuto, quod ante tempora secularia, non fieri tantum, sed per media certissima facere statuisset. In tanta autem difficultatum sylva cædua, utcunque operosissimum sit semitam invenire, id agam tamen ut multa paucis contraham, & succum exprimam; idque methodo jam vobis nota: in qua præcedit terminorum explicatio, & Adversantium Consensus, ut quid controvertitur distinctius eruatur: sequitur deinceps, sententiæ orthodoxæ confirmatio, & ab opponentium sophismatis vindicatio, quam claudet tertiò argumentorum, quæ præcipuam pariunt difficultatem, succincta refutatio.

4. *Sed progressum (ut videtis) intercipit Filiorum hæc interpellatio, qui non satis se munitos putant, aut dignitatis (quam gestant) purpurâ, vel Medici doctissimi præ-*

Benedictio.

Cap. 39.

seniſſimã antidoto, niſi Theologia etiam Matris accedat Benediſtio. Hos verò adeo junctim & iſtanter ſupplices, ſi aſperius tractarem, & triſtiori, pro ſeveritate paternã dimitterem ſupercilio, Struthionem referrem apud Jobum, qui ova ponens in terra, induratur ad filios, nil penſi habens, quomodo eos pes conculet, aut beſtia agri contrat. Quòd ſi unquam rerum anceps conditio benedictiones & vota eſſagitaret, non deeſſent præcipue in hoc feraciſſimo Metamorphoſeõ ſeculo, in quo non ingruit tantum ab occidentali Gog, ab orientali Magog, in puſillum Chriſti gregem, procella; ſed vidimus Pares aquilas & pila minantia pilis: In eodem utero conſiſtantes Eſau & Jacob, B. Pauli diſcipulos & Pelagii emiſſarios. Cui extinguenſo maturius incendio, niſi arrepto Sanctuarii thuribulo conſtanter & provide nuper fuiſſet itum, vix avertiſſet à nobis flammam, inter nos & Belgium interfuſus Oceanus. Parumne etiam nobis ulterius videtur, ut cum quaſi proximus ardeat Vcalegon, cum tot vicinos undique involvant tumultus; nos in Petram elevati, ſpumantes inferius decumanos fluctus, ut inane frementes, intueamur tuti deſuper, & contemnamus? Bello fervet Bohemia, trepidat Gallia, ſibi metuit Germania, ubique ſuſpiciones, ubique ſtratagemata, ab irrequietis Antichriſti Hamaxariis: ubi nos interea unusquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu propria, alia pace fruimur, Comitia celebramus, Candidatos promovemus, novos quotannis extrudimus operarios in meſſem Domini. Quomodo ergo hic deſit meſſorum illud תירר ſive torcular calcantium celeſtina? Eſaiã 16. cum tam uberrima unde quaque circumſuat benedicendi materia? In hoc autem (ut ita dicam) Patriarchali munere obeundo, illuſtriorem non ſequamur facem, quam jamdudum prætulit regius Pſaltes, ad cuius Pſalmodiarum quinque partitam diſtinctionem (ut rectè obſervavit Gregorius Niſſenus) tanquam epimone, aut verſus intercalaris, intertextitur ſemper ſolennis benediſtio. Ad primam Pſal. 40. Sectionem, Benediſtus Dominus Deus Iſrael à ſeculo & in ſeculum; fiat, fiat. Ad ſecundam, in clauſula 71. Benediſtus Dominus Deus Iſrael qui facit mirabilia ſolus, & benediſtum nomen Majeſtatis ejus in æternum, & replebitur majeſtate ejus omnis terra; fiat, fiat. Quarta, terminatur, ad calcem Pſal. 105. haud abſimili δόξαλογία; Benediſtus Dominus Deus Iſrael à ſeculo uſque ad ſeculum, & dicat omnis populus fiat, fiat, Hallelujah. Quinta, & ultima ſectionis, non minus inſignis eſt Epilogus, quam fuit prima proœmium; ut enim ibi incipit Beatus vir; ita hic concludit, Omnis ſpiritus laudet Dominum, Hallelujah. Ita Benediſtiones, laudes, Hallelujah, Tehilla, & Tephilla, שמעלות שירים ſive graduum cantica, copioſè ſuppeditant & inculcant ſacra Dei oracula, ut diſcamus nos quavis cauſa adhibita, & benediſtum Dominum deprecare, & benediſtiones Domini impertire, & benediſtos Domino conſecrare, & benediſcentium charitatem noſtro zelo referre, ut benediſta ſit Eccleſia in qua vivimus, benediſtæ Academia, quarum ubera exuximus, redeant in ſinus benediſtiones, quas aliis impertimus, & obturentur ora maledica, que venenum aſpidum gerunt ſub labiis. Oderat Eſau Jacob, pro benediſtione, Gen. 27. At benediſcit Hiram, & vehementer gaviſus eſt, quòd amico ſuo Davidi ſapiens ſucceſſiſſet filius. Cuiusmodi debet eſſe noſtra, in hac ſucceſſionis ſpe, & futura meſſis auſpicio exultans congratulatio.

5. Atque hic non placet Theologos meos à Jurisperitis, aut ingenuarum artium candidatis, inter benediſcendum ſecernere. Conjunxit vos hæcenus (filii) ejuſdem Matris gremium; uni at ulterius eadem ejuſdem benediſtio, recreet & illuſtret gratia, que pluribus pariter dimenſa, pares effectus indiscriminatim procreat. Neque enim eſt volentis aut currentis, ſed Dei miſerentis & benediſcentis, cur Jacobus Eſau præfertur. Hæc enim ſi non obtineret perſuaſio, cur aliquis benediſtiones omnes vel hili eſtimaret?

Num

Num. peterem (inquit Jesuita aut Remonstrans) illud aliunde, & frustra, quod mearum est virium, & muneris, meo Marte prestare? Ita maledictionem accersunt ingrati, dum quod gratiæ in solidum debetur, partim arbitrio suffurantur. Vestram aliam esse mentem, in eo quod petitis, apparet; quo ampliorem à gratia Divina, cui solummodo inuinitimini, benedictionem expectetis. Ergo ut Caleb filia Axæ benedictionem petenti, irri- Iosua 15.
guum superius, & irriguum inferius concessit: ita profusissimo gratiæ Divinæ imbre è cælo desuper, & è reconditis terra thesauris inferius Jehovah יְהוָה vestra pascua latifcet. Illa gratia quæ prævenit nos omnes ut velimus, & subsequitur ne frustra velimus, cataractas sue beneficentiæ in salutem vestram aperiat: moretur inter vos Jehovah tanquam in thalamo, & inter humeros vestros, in omnium onerum levamen placidus requiescat. Transfigantur lumbi eorum qui adversus vos insurgunt, fiant sicut Madian & Sisera, sicut Iabin in torrente Kishon, qui perierunt in Endor & facti sunt sicut stercus terræ. Psal. 82.
O quam invitus descendo ab hoc monte Gerizim, ad turbidam controversiarum penitus penitusque jacentem (mei Caucafi) convallem! Crescente undique circa vos area, benedictionis Divinæ ros, vellus vestrum uberrime humectet: A cacuminibus montium antiquorum, & deliciis aeternorum collium, voluntas habitatoris in rubo, vos ut pueros in fornace Babylonica illesos conservet. Fortitudo & gladius Gedeonis, Phineæ zelus, defecatum cor Davidis, ardor Eliæ, πνεῦμα ἁγίου Iohannis Baptistæ, adversus renascentes huius seculi Idololatrias & Herodes, prospere vobis succedat. Subcineritius hordei panis à vestris prodiens castris, subvertat vel artificiosissime instructa Midianitarum tabernacula. Nox involvat quemvis Bar-Iesu, qui vestris piis conatibus se opponat. In decore vestro felicissime agite, equitate super verbum veritatis, mansuetudinis, & justitiæ: sufficiat vobis Altissimi gratia, contra carnis aut Satanæ pungentis, cribrantis, aut colaphizantis, periculosissimos insultus. Et licet reviviscat denuo in Iesuitis prodigiosa Anakim progenies, Shefai, & Achiman, & Talmai, qui monstrosos otii parcos, & munitissima sue Kiriath-sepher mœnia, elatius venditant: non desit tamen inter vos succenturiatus Caleb, aut Othoniel, qui istorum moles diruat, ac dissipet, speluncas evisceret, claustra & antra Polyphemica, sale conspergat. Hoc ut efficiat gratia Domini exercituum per Iesum Christum unigenitum suum, animivus opto, & voveo. Quæ quomodo equaliter, diversis impertita, eosdem constanter producit salutare effectus, superest jam ut spiosiori orationis textura pergam demonstrare.

6. Quod ut enucleatius fiat, observandum est in limine, è multiplici ista gratiæ distinctione (quam superiori lectione proposuimus) gratiam excitantem, prævenientem, operantem, hinc solummodò examen subire. Hæc autem duplex est (ut cautè notat cum Dominicanis Alvarez) Externa & Interna. Externa elucet in publico verbi ministerio, suasionibus, correptionibus, minis, promissis, & huiusmodi. Interna verò immediatè à Deo profluit, quoties intus cor alloquitur, intellectum illuminat, voluntatem flectit, affectus subjugat, ut semen fidei & fructum efficaciter recipiat. Inculcat hoc multoties Augustinus, sed præcipuè cap. 34. de spir. & lit. Repetit explicatius Prosper cap. 14. cont. Collat. nec Adversariorum quispiam (quod sciam) negaverit. Vtrum verò tam arcta semper intercedat, inter hanc externam, & illam internam gratiam συζωγία, ut semper externum impulsus internus motus comitetur, ut opus Pontificiorum operatum locum inveniatur, (quod admittere videtur Arminius, defendit contra Tilenum, cap. 12. eius interpres Corvinus) aliam ferit litem, quam huius non est instituti discutere. Habendum est secundo, conversionem, regenerationem, renovationem, veteris Adami mortificationem & vivificationem, ut cun-

scrupulosius forsan aliàs distinguuntur, híc tamen sub eodem censu venire, ut *converti* nil aliud significet, quàm à potestate tenebrarum in libertatem filiorum Dei vindicari. Nec omittendum *tertiò, resistentiam* seu resistibilitatem (quod præcipua Adversariis est petra scandali) nil aliud vel ex vi vocabuli, vel ex Philosophorum placitis, vel ex Adversariorum interpretationibus, nobis designare, quàm reactionem, repugnantiam, oppositorum luctam, vel actionis reciprocationem, quæ inter æquales agentium vires vel nulla solet esse, vel inanis absque victoria : Inter vires verò ex parte debilioris agentis inæquales, succumbens & incompleta, sed actionem aliquo modo retardans : ex parte verò prævalentis, completa & triumphans. Quibus positis, utcunque non immeritò conqueruntur de Jesuitis Dominicani, illos sophistici (quod híc asserunt) involvere potius quàm proferre, ut de Remonstrantibus Orthodoxi, hos in confectandis argutiis totos esse, ut ab acumine capterent plausum, & ex mustaceo laureolam. Nec dissimulant è suis Lutherani quamplurimos, ad Synergistas defecisse : *Consensus* tamen est inter omnes *primo* ex parte gratiæ contra Pelagium, eam non solum necessariò ad conversionem concurrere, vel externè tantum in verbo & sacramentorum ministerio, sensus semper pulsare, sed intellectum etiam & voluntatem ita illuminare, afficere & renovare, ut initium, progressus, & totius conversionis perfectio gratiæ solummodo ascribatur. Convenit *secundo* ex parte a. bitrii, illud non ut inanime quoddam (quod anathemate ferit Concil. Trident.) gratiam prævenientem recipere, sed ut subjectum capax tantæ mutationis. Neque enim voluntatem sustulit lapsus (ut rectè in Antidoto Calvinus) sed ex libera servam fecit. Vnde titulus iste Lutheri de servo arbitrio, quem Erasmus eleganter potius, quàm nervosè exagitat. Largiuntur denique *tertiò* Remonstrantes, nec repugnant Jesuitæ, quoad conversionis modum, intellectum per gratiam illustrari, affectus sanari & renovari, quin & voluntatem ipsam excitari & invitari, saltem per modum affectus, virtute quadam irresistibili, atque eò usque gratiæ tractum infallibiliter sequi affectum, ut sic irresistibiliter gratia affectum imprimat, resistibiliter verò effectum eliciat, ut habet contra Bogermannum Corvinus, quoniam tum demum potest voluntas à gratia sic affecta dissentire. Vnde ad hoc tandem quasi acus foramen, tenuissimi hujus (ut videtur) dissidii filum redigitur, *utrum datis omnibus gratia interna, prævenientis, excitantis & operantis, adminiculis duobus eodem modo subjectivè dispositis, alter actu convertatur, alter liberè dissentiendo, eandem gratia virtutem irritam seu inefficacem efficiat ?* Affirmant híc securius Tapperus, Driedo, Soto, Vega, & reliqui superioris seculi mercium Pontificiarum clitellarii : Apertius verò è Jesuitis Molina, & eius Hyperaspistes Leon. Lessius, captiosius autem & sub infinitis distinctionum tendiculis Fonseca, Vasquez, Suarez, Bellarminus, Albertinus Becanus, quibus succenturiati accedunt Stapletonus, Mascarenhas, Remonstrantes, Pseudo-Lutherani, & quæ obscuris musitat in angulis, Socinianorum & Huberianorum colluvies. Repugnant Alvarez, Bannes, Cumel, Rispolis, & cæteris (ut mihi videtur) in hac causa non copiosior tantum, sed punctior, Did. Nugno, in 3. Aquin. part. q. 62. art. 1. q. 2. Alios nominasse forsan erit temporis jactura, quam sentio moram meam in præcedentibus antevertisse. Cum hac autem secunda authorum classe nos negamus. Argumenta quæ premunt præcipuè, ad hæc sex revocantur capita.

Primum sumitur ex testimoniis istis scripturæ, quæ voluntati nostræ post lapsum omnia detrahunt, & gratiæ quicquid obvenit boni, in solidum ascribunt. *Omne figmentum cordis humani est רע רק tantummodò malum, Genes. 6. Animalis homo non per-*

Ripa. ad
1. part. Aq.
q. 19. d. 1.
cap. 13.
Amesii CO-
ron. Art. 4.
cap. 1.

Sc. 6. c. 4.

Pag. 258. &
262.

Argum. I.

percipit ea qua sunt Spiritus Dei, stultitia enim sunt ei, & non potest intelligere, quia spiritaliter iudicantur, 1. Cor. 2. Non sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, 2. Cor. 3. Unde, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, Joh. 15. Deus est qui operatur in nobis velle & perficere, Phil. 2. Quis se discrevit? quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 1. Cor. 4. 7. Eodem hæc rendunt omnia, sed ultimus locus evidentiùs constringit, sub hac vel simili forma: Qui cum eadem gratiæ mensura convertitur, quâ alius non convertitur, seipsum discernit: habet enim quod non accepit, & unde gloriatur. Quod non dissimulat Bellarminus, dum Molinam, & qui ipsum sequuntur, suppresso nomine perstringit, lib. 1. de grat. & lib. arb. cap. 12. Nonne (inquit) dicere poterit is qui credit, se discerni ab infideli, per liberum arbitrium, quia ipse inspirationem recepit, quam alter rejicit, nonne gloriari poterit contra infidelem, quod ipse Dei gratiæ cooperatus sit, quam ille contempsit? Ipsa sunt Bellarmini tela in suum jugulum promptissima, qui addit insuper minorem, sed Apostolus hæc omnia prohibet, & ipsam quam volumus conclusionem subiicit: ideò non solum posse credere, sed ipsum credere esse donum Dei, Phil. 1. Ergò nil concurrat ad conversionem, de qua loquimur, ex parte voluntatis causativè, sed tantum subiectivè, unde æquali gratiâ excitati, æquales ex hac parte effectus necessariò sortiuntur. Molina, Lessius, & qui apertè quid sentiant proferunt, expediunt se hîc facile cum Pelagio, discrimen libero arbitrio rotundè delignando. Sed fraudulentius distinguunt alii: Motionem Divinam considerari bifariam, vel præcisè in se, & ita ex thesi esse indifferentem: vel relativè, respectu annexæ congruitatis, (ut loquitur Bellarminus) vel debitiæ applicationis, ut Fonsæca, vel intentionis Divinæ, ut Suarez, atque hîc oritur discrimen, quia eadem (inquiunt) Eleemosyna vel gladius, non æquè afficiet saturum, aut securum, periclitantem, aut famelicum. Quinimò ex talium circumstantiarum varietate illud eveniat, ut levior gratiæ impulsus plus promoveat. Sed contrà: Aut congrua ista gratiæ explicatio ex intentione Divina referenda est, vel ad ipsam gratiam solum, vel ad liberum arbitrium solum, vel ad utrumque ex æquo, vel inæqualiter. Si arbitrio hoc concedas, vel totaliter vel ex parte, cur Pelagium & Molinam deseris? Sin recurras cum Mascarenha ad solam gratiam, ea tum non erit æqualis, quia alteri defuit congrua applicatio, quam alterius gratia inclusit, & ita suppositum destruetur. Agnoscunt hîc Jesuitæ inæqualitatem gratiæ in genere beneficii, sed non in genere motionis, unde æqualis (inquiunt) gratiæ motio utrisque ex parte Dei adhibita, ob diversam tamen objectorum dispositionem, & captam à proponente opportunitatem diversos effectus producat. Quanquam miserum sit hoc κρησφύγετον, secluso gratiæ beneficio ad nudam motionem confugere, eamque vice gratiæ incautioribus obtrudere: motio tamen hæc Chimærica ambulans in vacuo, cuiusmodi sit videamus. Si ob diversam convertendorum dispositionem, diversus eiusdem motionis effectus prodeat, ergo discrimen hoc quodcunque sit, non à gratia fluit, sed à recipientis, quæ superadditur promptitudine; ergo seipsum discernit, ergo habet quod non accepit, unde gloriatur. Nec obstat, quod interponunt Remonstrantes, Gratiam agere principaliter, voluntatem verò ita cum & sub gratia, ut effectus gratiæ dicatur, & non voluntatis: Pergo enim, aut concursus iste voluntatis cum gratia coordinatus est, aut subordinatus: si subordinationem agnoscant, manus dant, nec opus est ut litem ulteriorem moveamus: Sin coordinationem tueantur, parùm refert cuiuscunque sit inæqualitatis, modò confert agens debilius (ut puer ad gigantis robor in navis tractione) quodvis momentum, absque quo fortioris

ἐχάρωσεν
εἰς αὐτὸν
πνεύμα,
v. 29.
Oppos.

Refutatio.

Instantiæ.

Amotio.

Arg. 2.

tioris agentis conatus non succederet : semper enim recurrit difficultas, illud quicquid est accessorii, discrimen ponere, unde qui illud adjecit, seipsum discernit, & per consequens aut Apostolus, vel Jesuitæ & Remonstrantes in errore versantur. *Secundum* argumentum est ab istis locis, quibus *conversio peccatoris* appellatur *creatio*, ut Psal. 51. Regeneratio, Joh. 3. à mortuis suscitatio & vivificatio, Ephes. 2. potens in initio, Rom. 11. & si qua huiusmodi. Sed ad creationem, generationem, vivificationem à mortuis, in fitionem, è creatis, genitis, vivificatis, in fitis, non plus unus confert quàm alius. Nam ita etiam pro justificatione prima Bellarminus lib. 4. de justif. cap. 18. *Quemadmodum* (inquit) *nemo potest opere suo seipsum procreare, aut à morte revocare, sic etiam homo per peccatum mortuus, non potest merito operum suorum se justificare.* Ergo cum nihil hic vel iste conferat ad conversionem, necesse est ut ex æquali gratiæ tractatione vel uterque veniat, vel ambo reluctentur. Jesuitæ hanc transiliumt foveam, sed implere conantur Remonstrantes in Colloq. Hagiensi aggere duplici, 1. à similitudinibus huiusmodi argumentum non procedere, quia multiplex inter naturaliter & spiritualiter mortuum, occurrit discrimen. Deinde irregentos etiam esse in duplici conditione, quosdam omnis vocationis expertes, qui mortui propriè dicuntur, alios veritate aliqua salvifica illuminatos, & amore quodam affectos. Atque istos innatam nolendi & volendi facultatem (solicitante primùm gratiâ) in actum producere, alios non. Sed bullæ sunt ista tenuissimorum flatuum, quas pueri facile dissipant.

Oppos.
Pag. 251.

Refutatio.

Neque enim in similitudinibus istis omnimodam urgemus nos convenientiam, sed scopum : ut horologium casu aliquo turbatum indicet nihilominus tempus, sed falsò : ut pixis nautica fulmine, vel aliàs à cynosura averfa, indiget constanter rumbum aliquem, vel obliquum vel oppositum : ut vinum (sicut instat Raymundus à Sabunde) in acetum acescens, colorem retinet & quantitatem, sed cum qualitate edaci & noxia : Ita arbitrium per lapsum deformatum, liberè vult illud ad quod fertur bonum, ad bonum tamen salutare non omninò assurgit. Non corrumpitur igitur (ut rectè Paulus Ferrius in specimine Theologiæ Scholasticæ) quoad agendi *radicem*, sed *terminum* : ideòque licèt in cæteris quæ sub rationis ambitu continentur (ut appositè se exprimunt Bohemi in sua recenter edita Latina confessione) libertatem aliquam retinuerit, aspirare tamen non plus valet ad salutarem terminum, vel ad suam conversionem plus conferre, quàm creatura, gènitus, planè mortuus, horologium, acus nautica, acetum, ad integritatem non habitam acquirendam, vel ad amissam perfectionem recuperandam. Deinde ut omittamus, quàm destruant Remonstrantes gratiam suam sufficientem & universalem, dum agnoscunt quosdam irregentos vocationis omnis esse expertes : Quis præterea unquam dixerit, finxerit, somniaverit, irregentos etiam esse tales, quibus intellectus & affectus sunt prorsùs vivificati, & voluntas renoyata ? tamen si enim gradatim crescat conversionis fructus, in instanti tamen (ut cum Philosophis loquar) per primum sui non esse imprimatur ipsius forma. Vnde quæstio non est, An voluntas liberè assentiatur primo gratiæ impulsui, sed unde sit iste assensus liber, num à voluntate, an ab operante gratia, quæ in solidum illud restituit, ut primæ conversioni liberè assentiretur, assensum enim non negamus, sed illum à gratia effectum cum Bernardo contendimus. *Tertium* argumentum suppeditat Bellarminus cap. 12. lib. 1. de Grat. & lib. 1. b. ex adamantina ista catena ad Rom. 8. inter immutabile Dei propositum, & effectum ipsius constantissimum, forma sic erit. Quod evertit omninò fundamentum prædestinationis, quam S. Augustinus (verbis utor Bellarmini) ex Divinis literis solidissimè comprobavit, nullo

Arg. 3.

nullo modo est admittendum. Subsume : Sed asserere gratiam æqualem sic duobus esse internè oblatam, ut uni liberum sit assentire, alteri assensum cohibere, dirumpit catenam Apostoli, *Quos predestinavit, hos vocavit, & irritum reddit decretum*, quia aliquid saltem ponit in Jacobo, præter, vel accessorium proposito divino, quod illum ab Esavo discernit : Ergo non Molina tantum, sed Bellarmini & Remonstrantium interpolator Semipelagianismus, ex eodem fundamento prorsus evertitur. Dicent, Propositum illud Dei æternum conditionatum esse, ex prævisione per scientiam mediam, moralis cuiusdam persuasionis, cui præcitat Deus hunc vel illum non repugnaturum, licet ex arbitrii libertate possit dissentire. Haud secus (illustratio est Cardinalis ex Augustino) ac si pastor ovi ramum viridem ostendat, vel parens filiolum nubibus illiceret, quos novit certò secuturos, tamen si fieri potest, ut ista non moveant. Atqui loquitur Augustinus ibidem, de externis tantum mediis, quæ dubitaverit nullus, quin voluntas sapius rejiciat, sed quæstio est de interna gratiæ efficacia, quæ prædestinationis decretum exequitur. Hæc autem an actio physica sit dicenda, (ut loquuntur Dominicani) vel potius Divina, supernaturalis, vel occulta (cui fortasse aptius nomen non occurrit, sicut cautiùs cum Augustino nostri ferè statuunt) parum interest. Verùm ut moralis tantum suasio, ex objecto congruè proposito, quæ sit causa solum alliciens (ut balbutire didicerunt Recentiores ex Iohanne Baconio) non efficiens, infallibiliter conversionem operaretur; manente tamen semper in convertendo, arbitrio ad oppositum; fermentum ducimus esse mutuatum ex Semipelagianismi massa, à qua nobis sollicitè est cavendum. Nam quis non videt suasionem istam, potentiam & vires præsupponere, præstandi id quod suadetur, in eo qui suadetur, quem Scriptura tamen cæcum, surdum, mortuum, convertenti objicit. Videant autem novi isti declamatores, qua arrepta occasione, aut medulla Suadæ, cæco, ut videat, surdo, ut audiat, mortuo, ut vivat, non adhibitis aliis mediis, persuadeant. Adde quòd si ultra moralem suasionem, efficacia gratiæ non extendatur; non intelligo quid plus conferat Deus ad peccatoris conversionem, quàm ad subversionem Diabolus. Et quoniam pro eo quo intumescunt acumine, familiare est Jesuitis præcipuè, Patres & Scholasticos in suas partes cogere, *Quarti* argumenti loco, sit iudicium ipsius Augustini & Aquinatis. Quorum primus utcunque juvenis, adversus Manichæorum impium Principium, & sinistrum fatum, alicubi arbitrii vires liberius extulerit, præsertim ad Simplicianum l. 1. q. 2. moralem suasionem, cui liberè assentimus, agnoscit: Senior tamen (quod Bellarminus ipse non diffitetur) constantiùs & meditatiùs asserit, contra Pelagianos, Efficacem gratiam à nullo duro corde respui, quia ipsa cor emollit, de præd. sanct. cap. 8. Operari non tantum veras revelationes, sed & bonas voluntates; De grat. Cti. cap. 24. Ex nolentibus volentes efficere, cont. duas Epist. Pelag. lib. 1. cap. 19. Denique ad illud Apostoli, *Quis te discernit?* asserit commentarii vice, de persever. sanct. cap. 5. Possit dicere *inflatus homo adversus alterum, Discernit me fides mea, justitia mea, & si quid aliud.* Sed talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor, *Quid habes* (inquit) *quod non accepisti? & à quo nisi ab illo qui te discernit ab alio, cui non donavit quod donavit tibi?* Augustini insisit vestigiis Aquinas, ut præ cæteris prolixè ostendunt Cumel & Nugno, quod molestum esset delassatis repetere. Vbi autem dissentit Baconius Carmelitarum Doctor resolutus, concedendo plus quàm par est humanis viribus, monet obiter se dubitare an ista opinio possit sustineri. Quid ad hæc Adversarii? occurrit Gerardus Vossius, Augustinum in hac causa, quædam antiquioribus attexuisse, quæ Ecclesia nunquam

Instantia.

Responsio.

De grat. Christi cap. 24.

Arg. 4.

Conferc. 28 de peccat. Merit. & Remiss. l. 2.

1. 2. q. 99. art. 2. & quæst. 112. art. 3.

Opposit.

Refutatio. probavit. At quænam (quæso) Ecclesia? Massiliensium forsitan & Remonstrantium, quam Orthodoxa (ut nuper in Synodo Dordracensi, sic olim in plurimis receptis Conciliis) ut Schismaticam condemnavit. Augustinum autem una cum Aquinate, dum fidiculis contendunt Jesuitæ in suas partes torquere, lepide reponit Nugno, se timere ne se etiam post mortem, utcunque in ipsos tam acriter sit investus, sententiæ Jesuiticæ assertorem producerent. Tam candide agunt Loiolitæ in authoribus citandis, ut sublesta ipsorum fides incipiat jam tandem suis symmystis vilescere. *Quintum* argumentum intorquet Ripa ex Philosophicis Principiis, ex quibus constat causam primam movere ultimam, ut expresse dicit Aristoteles 8. Phys. text. 33. Hoc autem si fieret (ut Adversarii docent) motione simultaneâ, sic ut prima cum secundis in effectum ut concausa influeret: Inanis esset nota illa Aristotelis scala, Quicquid movetur, movetur ab alio, ad causam primam investigandam; Cum in termino ascensus duas parciales causas æquæ primas inveniremus. Respondet Bellarminus, ordinem istum tantum esse inter causam primam & secundas instrumentarias, qualis non est voluntas propriè, sed solummodò metaphoricè. Iejunè. Ac si voluntates nostræ æque essent Dei instrumenta, & dependerent à Deo, ut cæteræ omnes creaturæ, quas torquet & flestit ad malum, (ut alibi fatetur Cardinalis) quod tam crudè nunquam asseruit Calvinus. *Sextum* nostrum argumentum absurda nonnulla premit, quæ adversariorum comitantur thesin, nec ulla arte possunt eludi. Indicabo tantum in transitu, quia sentio horam fugere, & dicenda quamplurima superesse. Nam si penes sit liberum arbitrium, gratiâ utcunque operante, dissentire nihilominus, & salutarem effectum impedire, *sequeretur* I. Plus in conversione tribuendum hominis arbitrio quàm ipsi Deo, quia Deus tantum movet, at homo parat: nemo autem in eo quòd movetur, aut monetur, bonus est, sed in eo quòd moventi aut monenti parat, & ita bonus esset homo præcipue, quia vult, non quia Deus talem fecit, sed monuit tantum ut esset. *Sequitur* 2. omne discrimen filiorum Dei & seculi, esse à natura, non gratia, quia gratiâ rectè uti, (hoc est consentire) est arbitrii, illud autem à natura. *Unde* 3. insto, Cui, quæso, (ò Jesuitæ & Remonstrantes) ex vestrà sententiâ conversionem meam acceptam referam? an Deo, gratiæ auctori? at illa, nisi bene utar, resilit & excutitur: num Deo ut arbitrii, & naturæ conditori? at natura cõmunis est, illud quod discernit speciale. *Unde* 4. responset arbitriũ non tam Deum se, sed illud Deum elegisse: quia assensus meus efficit ex vestra thesi, ut gratia mihi potiùs, quàm alteri esset salutaris. Quis autem de se dimissè, aut de Deo sentiet magnificè, qui in se aliquid inveniat, quod à gratia non acceperit? vel in solum Deum collocet fiduciam, quam putat non minima ex parte, ab assensu proprio dependere? Enervat hoc 5. *preces* & gratiarum actiones, nam quid à Deo peterem? num gratiam sufficientem? at istam, ex pacto possideo, una cum hypocritis, qui non petunt. Num bonum usum istius gratiæ? at hic proprio nixu est eliciendus, ex innata arbitrii indifferentiâ. Quis autem seriò ab alio petit, quod possidet? vel ob illud gratias agit, quod non accepit, sed contulit? *Postremò*, non minus præjudicat arbitrii libertati (ut rectè animadvertit Nugno) Jesuitarum moralis suasio, quàm Dominicanorum physica prædeterminatio. Nam posita Divinæ præscientiæ infallibilitate (quam junctim defendunt) de Iacobo convertendo & Esavi pertinaciâ, vel Iacobus est necessariò convertendus, vel non: si sic, obtinemus quod volumus, si non, falli potest ista præscientia, quæ ex thesi statuitur esse infallibilis: unde eadem incumbit, tam ex istâ suasionem, quàm ex illâ determinatione effectus necessitas, quare si illa vim adferat arbitrio, quomodo non & altera?

Opposit.
de grat. &
lib. Arb. 1. 4.
cap. 15.
Refutatio.
De grat. & 1.
Arb. 1. 2. cap.
13. & 15.
Arg. 6.

Si nobis libera quædam voluntas ex Deo est, quæ adhuc potest esse vel bona vel mala, Bona verò voluntas ex nobis est, melius est id quod à nobis quàm quod ab isto est. Aug. de Peccat. Merit. & Remiss. lib. 2. c. 18. Vid. Aug. de peccat. Merit. & Remiss. 1. 2. c. 2. Ibid. cap. 6. Quid est stultius, quàm orare ut facias, quod in potestate habes? Idem de Nat. & grat. c. 18.

tera? Cum ergo aduersantium sententia, tot manifestis Scripturæ repugnet locis, propositum Dei quod est secundum electionem incertum constituat, terminos à Patribus fixos loco moveat; Scholasticis sanioribus non probetur; cum principiis Philosophiæ receptissimis non cohæreat; plaustra inuehat absurditatum, nec tamen illud quod volunt expediat, sed arbitrium necessitati subiectum semper relinquat, concludo, ex duobus æquali gratiâ donatis, si unus convertatur, alterum eandem consequuturum esse fœlicitatem, ὁπερ ἐδείξαι. Quod aduersus tot opponentium impetus operosius erat astruendum.

9. Argumenta adhuc restant Aduersariorum tanto facilius expedienda. Quinque ponit Alvarez, Ripa sex, Nugno 14. Ipse revoco ad tria capita, Scripturas, Patres, Rationem. Ex Scriptura palmarium est illud, Matth. 11. 21. *Va tibi Corazin, va tibi Bethsaida, nam si in Tyro & Sidone edita fuissent virtutes, quæ editæ sunt apud vos, olim in sacco & cinere sedentes respicissent.* Vnde Suarez & Symmytæ ipsius; Eodem auxilio quo Iudæi potuerunt pœnitentiam agere, egissent illam Tyrii & Sidonii, si eis tribueretur; Ergo cum æquali auxilio stat unum converti, & non alium. Huic argumento varie respondent Dominicani: Exclamat Bannes illud Pelagianismum sapere, quia tribuit conversionem externis miraculis. Cum el excipit, nil aliud hinc sequi, quàm non tot obiecturos fuisse impedimenta prædicationi Christi Tyrios & Sidonios, quot opposuissent Iudæi. Rispolis asserit, Christum tantum occasionem ostendisse, quâ Tyrios & Sidonios convertisset per internam gratiam, si externam illis dedisset. Nec aliter Alvarez, *Conuersi fuissent ex auxilio Diuinæ Gratiae, quod Deus illis misericorditer dedisset, si ea signa apud eos facta fuissent.* Sed non defunt hic Iesuitis quæ satis nervosè reponant: & fateamur necesse est multa hic gratis esse dicta, nec scopum salvatoris attingere. Punctius igitur ex textu respondeo. Aliud est in sacco & cinere conceptum dolorem exprimere, & eousque veram pœnitentiam aliquo modo inchoare: aliud & sublimius quiddam, per gratiam efficacem regenerari, & penitus converti. Sic apud medicos corporis, aliud est humores noxios excutere & dissipare, aliud salubriori pharmaco exhaurire, & ægrotum sanare, Interminatio Elia terrorem incutit Achabo, terror humiliavit, humilitas avertit vindictam Dei pro tempore. Cilicium & saccum cum ieiunio hic videmus, veram tamen conversionem non invenimus. Vnde colligamus inter reprobos, alios aliis esse nequiores, sic ut utrique varie afficiantur ad Prædicationem verbi, & virtutes cœlestes, illi contemnunt & indurescunt, alii tremunt & aliqua saltem exhibent indicia doloris, & pœnitentiæ. Loquitur autem hic Salvator, ut tota indicat contextus series, de externo tantum auxilio, per prædicationem & miracula, non de interno per efficacem gratiæ operationem. Atque ita exponunt hunc locum Augustinus & Gregorius referente ipso Suarez. Gravissima tamen est (quicquid contra obijcet Lessius) ipsius exprobratio in hunc sensum vibrata: *Vtcunque deploratæ estis salutis una cum Tyriis & Sidoniis, puderet tamen vos (ô ciues Corazin & Bethsaidæ) illis Ethnicis esse obstinatioribus. Certe verba mea & virtutes, quæ vos vel susque deque habetis, aut malitiosè fugillatis, in illis saltem aliquos fructus externos pœnitentiæ produxissent; quod discrimen utcunque non valet ad conversionem, valebit tamen ad pœnæ diminutionem, quia remissius erit illis in die iudicii quàm vobis. Perinde est (inquit Nugno) ac si quis Christianum corripiens, si Turca (diceret) esses, mecum egisses humaniùs. Ista igitur omnia citra conversionis salutaris terminos, in moralibus subsistunt: in his autem varios inveniri liberi arbitrii profectus, nemo*

Obiect. 1.

Solut.

Object. 2.

(quod sciam) negavit. *Alterum* atrox argumentum ex illis locis, quæ gratiæ sufficienti oblata resistendi facultatem permittunt. Vos semper Spiritui sancto resistitis, Act. 7. § 1. Quoties volui vos congregare & nolulistis? Matth. 23. 37. unde argumentum; Si Spiritus sancti operatio sit resistibilis, & illi quos vult Christus congregare, impedire possint, ne congregentur, tum ex duobus æquali gratiâ constitutis alter converti potest, & non alter: sed verum prius, ergo & posterius. *Respon-*der appositè Calvinus, non agi in illis locis de causis conversionis, quæ pendent ab intentione Dei; sed de modo convertendi, ut promovetur externo hominum Ministerio. Resistere igitur convertendi possunt Spiritui Sancto, externè per ministros suadenti, non internè per gratiam efficacem operanti, & qui sequuntur irresistibiliter, pedo gratiæ trahentem, ab eodem resiliant fistulâ tantum verbi congregante.

Solut.

Object. 3.

Vid. Aug.
&c C. D.
1. 12. c. 6, 7.

10. *Secundo*, è Patribus urgent præcipuè Augustinum, ut in hac causa sibi impertè repugnantem. Nam ubi asserit universim, Deum sinere res agere, pro indita in prima creatione facultate, motus suos: De Civit. Dei lib. 7. cap. 30. quod illustrat in Pharaone & Nebuchadnezzar, cap. 15. & in duobus æquè tentatis, non eodem successu eluctantibus, lib. 12. de Civ. Dei cap. 12. Inde inferrent, Patrem illum acutissimum, de Ecclesiâ optime meritum, in peccatoris primâ conversione aliquid humanis viribus concessisse. Sed expedita est responsio (ut fusè ostendunt Dominiani:) Augustinus enim & ceteri Patres, arbitrii libertatem adversus coactionem solummodo asserunt; Vt indifferentiam quam obtinet inter secundas causas, astruant, quod non obstat, quin à prima causa, absque omni violentia, in rebus ad salutem spectantibus, certo determinetur. Nam ita expressè Augustinus, *Bona voluntas non ex vobis est, sed ex Deo qui fecit voluntatem*, lib. 10. de C. D. cap. 7. *Ab eodem bonus usus libera voluntatis*, 1. Retr. c. 9. Vnde justitia quæ ex gratia provenit, sic nostra fit ut sit nobis ex Deo. De grat. & lib. arb. cap. 13. Neque enim omnem, in conversione prima, voluntati negamus actionem (ut rectè concludit Ripa) sed dicimus eam agere, sic ut primò habeat à gratia efficaci unde agat, cum qua ut liberata potius quàm libera, statim coagit. Et risu dignum est (ut idem ibidem notat) Jesuitas tam solite, ut hoc oppugnent, testimonia è Patribus congerere, nisi caute ab illis explicarentur, contrarium nimis probarent.

Solut.

Object. 4.

11. *Tertiò* è rationibus (quas ultimo subjiciunt) illa videtur maximi ponderis, quæ gratia & liberi arbitrii (sicut præfert titulus libri Molina) ex nostris fundamentis, non componendam urget discordiam. Forma sic erit: Opinio quæ tollit concordiam inter gratiam & liberum arbitrium, sic ut actualis usus voluntatis humanæ, cum infallibilitate præscientiæ, providentiæ, & prædestinationis Divinæ nusquam consistat, non est in Ecclesia ferenda: sed talem æstimant nostram esse sententiam, quia totam conversionem gratiæ in solidum attribuit, & effectus, in diversis arbitrii libertate ad velle & nolle præditis, æquales ex æqualitate gratiæ concludit. Hunc nodum quia solvere non potuit Cicero, (ut habet Augustinus lib. 5. de Civ. D. c. 9. & 10.) negavit Dei præscientiam. Scotistæ, Nominales, & Carmelitæ plerunque hæc ferruminant per prævisionem quandam, decreto prædestinationis præcedentem, quam Jesuitæ decorarunt titulo Scientiæ Mediæ, quæ cujusmodi fuerit alias vidimus. Nunc autem quid si responderem cum Gregorio Ariminensi, Marfilio, Cajetano, concordiam istam captum nostrum superare? Neque enim necesse est, cum mysteria revelata teneamus, de modo non revelato nimium esse importunos. Sed rectè

3. Sent. d.
39. q. 2. art.
2. 1. Sent.
q. 45. art. 2.
Ibid. q. 22.
art. 20.

reſtè occurrit Ciceroni Auguſtinus : Abſit à nobis ejus negare *praſcientiam ut liberi eſſe velimus, quo adjuvante ſumus liberi & erimus.* Sed facilius componunt hanc litem cum antiquis, Noſtri ſimul & Dominicani. *Quanquam neceſſitas incumbat inſallibilitatis, & dependentia in ſenſu (ut loquuntur) composito, eventibus omnibus creatis, reſpectu primæ cauſæ: nil obſtat tamen quin ex habituſe ſecundarum inter ſe cauſarum & effectuum, hoc neceſſariò, illud contingenter & libere eveniat; quia Deus ita cauſas ſecundas diſpoſuit, ut ſic agerent contingenter, vel neceſſario. Voluntas igitur converſi, ſalutares effectus neceſſariò producit, & tamen libere, gratia ipſam liberante & agente: licet in ſenſu diſiſo (hoc eſt ſepoſito hoc ſalutaris gratiæ ductu) retineat ſemper facultatem ut alio ſe divertat. Et mirù eſt (ſicut acute Nugno) ſi voluntas per ſe agat libere & Deo illam agente eadem libere non ageret. Diſcordiæ igitur litant, qui hic deſiderant concordiam, ubi creatura creatoris ductum ſequitur, ad agendum libere, vel neceſſariò, prout ipſe diſpoſuerit. Et ita habetis quæ de controverſia hac implicatiſſima in unius Lectionis compendium potui redigere. Deus Opt. Max. ita velle det nobis & perficere, ut noſmetipſos abnegantes, in ipſius gratia & miſericordia ſolùm acquieſcamus, per Jeſum Chriſtum Dominũ noſtrum, Cui cum Patre & Spiritu Sancto ſit omnis laus & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.*

LECTIO V.

De

JUSTIFICATIONE.

In Vesperijs Comitiorum habita Oxon.

Julij 8. Anno Domini 1620.

Rom. IX. 11. 12.

11--- *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali, ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante.*

12--- *Dictum eſt ei, Quia maior ſerviet minori.*

Illuſtris eſt ille Concilii Arauſicani ſecundi, canon 12. *Tales nos amat Deus, quales futuri ſumus ipſius dono, non quales ſumus noſtro merito.* Quod patet in duobus pueris hoc in textu ptopoſitis, *Major ſerviet minori,* non quia minor per ſe præſtantior, aut major deſpicior: ſed quia vocanti ita placuit, priuſquàm illi fuerunt, ut operarentur, quo placerent. Quarit Auguſtinus tom. 7. lib. de bono perfeverantiæ, cap. 8. *cur in una eademque cauſa tam diverſum ſit iudicium?* Et reſpondet hoc modo; *Nonne ſimilis queſtio eſt, cur in diverſa cauſa idem ſit iudicium?* Recolamus illos operarios in vineâ, qui toto die laboraverunt, & illos qui una hora, nempe cauſa diverſa eſt impenſi laboris, & tamen idem iudicium in redditione mercedis. Numquid & hic au-